

Ferrariensem legitimum esse. Conda vero per conventum Basileensem post translationem gesta, vel decreta, viribus omnino carere, nisi forte per legitimum Ferrariense Concilium confirmetur: omnesque qui sacramento se Basileensi Synodo devinxerunt, absolutos & liberos ab hoc sacramento esse, iustique sunt omnes inde intra triginta dies excedere sub excommunicationis lætæ sententiæ, & privationis omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum pena.

30. Interea Græcorum Imperator Joannes Paleologus cum fratre Demetrio, simulque Josephus Constantinopolitana Ecclesiæ Patriarcha, multique Græcorum Episcopi, selectique Presbyteri & laici Nobiles ad litus Venetorum appulerunt, eosque quantis potuerunt honoribus excepere Dux & Senatus universique civitatis Venetæ populus. Inde solventes, Ferrariam versus ad flumen Padum sitam navigarunt, quo jam Eugenius præcesserat, qui ab ipsa secunda sessione Synodo præsidebat, cum prima non interfuisset. Imperatori obviam extra urbem proceperunt Cardinales omnes, & Marchio Estensis Ferrariensis ditionis Princeps: atque sub aurea umbella Imperatorem ad palatium Pontificis recta perduxerunt, qui volenti ad genua Pontificis se dimittere non permisit, sed amantissime complexus est; dataque dextera osculanda, ad sinistram suam confedere fecit. Indeque ad hospitium magnifice ornatum deductus est Imperator. Sessione insequenti ad quam cum Latinis simul Græci convenere, sex delecti sunt Latini, & totidem Græci ad disputandum alii adversus alios. Inter sex Latinos duo eminebant Cardinales Julianus Cæsarius tituli sanctæ Sabina, qui apud Basileam Legatus Apostolicus præfederalat, & Nicolaus Albergatus tituli sanctæ Crucis. Inter Græcos disputatores præcipui erant Marcus Ephesinus Metropolitana, & Bessarion Nicænus. Omnibus ex ordine confedentibus, Latini honoris gratia proque sua in Græcos humanitate ac benevolentia sermonis prærogativam his detulerunt. Surgens itaque Bessarion facundissimus orator, accepta prius ab Imperatore & a Patriarcha Josepho dicendi facultate, post profundam inclinationem orationem habuit exultationis & gratiarum actionis, atque exhortationis ad pie & sincere prosequendam salutiferam unionem. Sequenti sessione ex parte Latinorum Andreas Rhodi Episcopus peroravit pari atque pridie Bessarion Nicænus, eloquentia & gratia. Aderant porro in eodem Concilio duo Insule Rhodi (que tunc ab Equitibus sancti Joannis tenebatur) Episcopi, quorum unus Latinus ejus insula incolas dirigebat, alter vero Græcus, qui Græcos dirigebat, (erat autem tunc Andreas unus ex senis disputatoribus Latinis.) vocari solebat, atque ita signat in actibus hujus Concilii Archiepiscopus Colossensis. Existimabatur enim Colossenses, ad quos scribit Apostolus, esse Rhodios, dicique a Colosso æneo, quem Charles Lyndius Rhodi conflaverat; cum tamen verius Colossenses, ad quos Paulus scripsit, sint incolæ oppidi Phrygiæ dicti Colossi, vel Colossæ, alter vero ex parte Græcorum Rhodi Episcopus, a quo insulares Græci dirigebantur, dici solebat Metropolitanus Rhodiorum. Latini hac in Synodo ad latus confedebant, in quo erat summus Pontifex; Græci vero ad latus, in quo collocatum erat Imperatoris solium.

31. Anno 1439. ingruente apud Ferrariam peste, necessitas incubuit inde abscedendi, eaque de causa sacra Synodus Florentiam, primariam Tusciæ civitatem, quam Arnus præfessit, translata est. Peracta fuerat Ferrariæ sexta sessio, Florentiæ itaque celebrata est sessio septima, disputatumque in ea est de processione Spiritus sancti, num sit a solo Patre, an etiam a Filio, prodieruntque in certamen Marcus Ephesinus & Joannes Ordinis Dominicani in Longobardia Provincialis. Hic vero tanta ingenii & doctrinæ vi de processione Divinarum Personarum disseruit, & de modo processionis tertie Personæ a duabus per communem & unicam simul Patris & Filii spirationem, de significatione vocum naturæ, essentia, substantiæ, & subsistentiæ, ac Hypostasis & quomodo cum unum idemque sint tres Personæ, distinguantur tamen reipsa inter se. Deinde de corruptione Codicum Græcorum ab ipsis Græcis post constantiam schisma, quam tamen Græci Latini injuste ascribebant; consutavitque dilucide, quæcumque Marcus vel opposuerat, vel responderat, commonstravitque, omnes fere veteres Græcos Patres testari aperte, Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere; neminem vero negare, quinimmo aliquos superesse, qui depravationem a schismaticis Græcis factam evaserunt, qui perspicue affirmant ab utroque simul processionem. Ipsam vero particulam, per, nihil aliud significare quam principii communis ac unius inter Patrem & Filium societatem in producenda tertia Persona. Ex his fusc perspicueque enunciatis, ita caligavit Ephesini animus, ut quamvis lingua promptus & prolixus esset, sapius obmu-

tescere coactus sit. Cumque sermonem resumens Joannes pari doctrinæ fulgore & animi vehementia aperte commonstraret, sanctos Basilium & Epiphanium & alios quosdam discrete asserere, Spiritum Divinum ex Patre Filioque simul prodire, attonito & silente Marco, Imperator e sua sede respondit, reperiri in Græcia multos quoque vetustissimos Græcorum Patrum Codices, ex quibus vox quoque (Filioque) abesset perinde ac in recentioribus, quam tamen Latini exposulabant per fraudem a Græcis post schismatis tempora erasam. Cui Julianus Cardinalis replicavit: Nonne cum decrevisset Serenissime Imperator, in certamen prodire, decebat tua tecum arma deferre, ne in ipso conflictu inermis deprehensus vinceris? Post hæc Græci ipsi apud Patriarcham Josephum ex ageritudo decumbentem, diversa habuerunt colloquia præsentem Imperatorem, qui una cum Patriarcha Latinis consentiendum esse judicabat in his ad fidem attinentibus causis. Hoc idem urgebant additis validissimis rationibus & argumentis Bessarion Nicænus, & Gregorius Scholarius maxima inter Græcos exultationis, sapientia, pietatis & doctrinæ viri, Ephesino tamen ulqueque cavillantis & contradicente. Sed his obitus contigit Josephi Patriarchæ, qui ad felicioram vitam profectus est relicta propria manus scheda, profertente se fidei, quam sequitur Catholica & Apostolica Roma, cui præest Eugenius Papa, firmiter assentiri, Romanique Pontificis in universam Ecclesiam agnoscere Primatum, eique indivulso subesse. Obiit vero ann. 1431. ejusque exequiis omnes interfuerunt Cardinales, sepultusque est in templo Dominicanorum Florentiæ ritu Græco, cum summis honoribus & amplissima funeris pompa.

32. Defuncto Patriarcha, disceptatum fuit in sacra Synodo de penis Purgatorii, in quas generatim omnes confenserunt, sive in ignis ardore consistant, ut est Latinorum sensus, sive in ipsius loci obscuritate & incommodis angustisque sibus, ut Græcis visum est, atque in his, qualescumque illa sint, aut mitigandis, aut finiendis, fidelium vivendum suffragia conducere ac prodesse. De azymo aut fermentato pane an sit sufficiens Eucharistiæ consocienda materia, post aliquot concertationes, in unam omnes convenere sententiam, in alterutro posse consecrari & sacrificari, dummodo panis sit triticus, ac in eis sequendum esse locorum consuetudinem. In hoc etiam confenserunt, sancti Spiritus invocationem, quæ in Græcorum Liturgia post enunciata mystica Christi verba adhibetur, nullatenus ad consecrationem pertinere, sed esse preces ad impetrandum pro communicantibus Sacramenti gratiam utiles. Ad postremum de omnium Græcorum assensu, duobus omnino exceptis, ut testatur Bessarion, scilicet Marco Ephesio, & altero innominato, itum & subscriptum est magna omnium lætitia in Latinorum consensum, & prolixis disputationibus Eugenius finem tandem imposuit anno ipso 1439. pridie Nonas Julii, omniaque sacra Synodi decreta Græcorum Imperator & Antistes obtingerunt, eodemque mense in patriam remigrarunt.

33. Dum adhuc Florentiæ versaretur Imperator, supervenerunt Legati Patriarchæ Armenorum, qui Imperatorem in proximo discessu ipsius salutarunt, & necdum soluta Synodo Eugenium, a quo perhumaniter suscepti sunt, supplices adierunt, rogantes nomine proprii Patriarchæ & gentis suæ fide Romana institui, & in ejus unionem admitti. Ea res ingenti lætitia Eugenium affectit, dum videt divisas Orientis Ecclesiæ unionem supreme Sedis acquirere, quo tempore Basileenses se ab illa disjungebant, eique bellum indicabant. Quem admodum Constantinopolitanus Patriarcha se œcumenicum ac universalem, ita & Armenorum Patriarcha se eodem sensu Catholicum nuncupabat. Armeni etiam Sacerdotes in Sacrificiis vinum sine aqua offerebant, ut liquet ex Quinisextæ Synodi can. 32. Gens quoque ista Eutycheis hæresim Chalcedone damnatam sectabatur, quam etiam nunc consecratur. His Legatis Eugenius sacro approbante Concilio Symbolum Constantinopolitanæ primæ Synodi, cum additione vocis (Filioque) in Ecclesiis concinendum tradidit: Deinde, Chalcedonensis definitionem de duabus distinctis & inconfusis in una Christi persona naturis: Tertio, decretum sextæ Synodi de duabus Christi voluntatibus & operationibus: Quarto, doctrinam septem Sacramentorum, qualis legitur in decreto unionis, eidem scripto dedit, simulque Athanasii Symbolum. Itud vero de Armenis decretum notatur Florentiæ promulgatum in publica sessione Synodali solemniter celebrata in Ecclesia majore, ann. Dom. 1439. 10. Calend. Eugenii Pontificatus ann. 9. quo nondum fuit diremptum Florentinum Concilium; duravit enim tres annos subsequentes, ut respondit in Concilio Trid. Cardinalis a Monte eidem præsidens Episcopo Clodiensi neganti Bullam Jacobitarum ann. 1441. pertinere ullatenus ad Concilium Florent. quod per errorem

errorem existimabat fuisse ann. 1439. terminatum. Eugenius enim de schismate, quod Basileæ parabatur, sollicitus judicavit ceptam a se Florentinam Synodum esse ulterius prorogandam. Et utique eodem ipso anno Basileenses sess. 30. sententiam depositionis in Eugenium a seipsis declaratum hæreticum & contumacem protulerunt, cum non restarent apud ipsos nisi septem Episcopi, ut Patricius & Nicolaus Cusanus fidem faciunt. Et ulterius suam promoventes audaciam sess. 38. & 39. mense Novembri ejusdem anni 1439. Amedæum Sabaudie Ducem in locum exacti a se Eugenii evexerunt, missisque Legatis eundem Sabaudum initio reluctantem ad suæ consecrationis & coronationis consensum induxerunt, qui tunc Felices quarti sibi attribuit nomen.

34. Qui tunc in Francia regnabat Carolus VII. licet pio succensus studio restituendæ admodum collapsæ lætæque in toto regno Ecclesiasticæ disciplinæ, pragmaticam sanctionem ex Basileensium decretis constitam, in conventu Præfatum regni apud Bituricas approbasset, ultimum tamen Basileensium factum in exaudorando Eugenio eique Antipapam subrogando semper est averfatus, missisque Basileam oratoribus protestatus esse se in Eugenii obedientia persistere. Fridericus Imperator nomine tertius Basileam iter habens, & privatum Amedæum paullo ante ibidem consecratum sub noctem invisens, abstulit tamen ab honoribus summo Pontifici præstari solitis, ne (inquit Aneas Sylvius) Pontificis summi loco idolum coleret. Idemque Aneas, qui a Friderico iam famulitium assumptus, & post aliquot annos electus Papa, Pii secundi nomen habuit, postquam Basileensibus adversus Eugenium rebellibus obfirmato animo ad hæsit, meliori demum proposito ab iisdem discedens, pari ardore quo Basileenses cœtus & acta reipsa & scriptis propugnauerat, reprobativè deinceps contrariis scriptis & prosidit. Ad regem Franciæ dum esset in conventu Bituricensi, oratores misit Felix & Concilium Basileense Joannem Segoviensem Hispanum, & Thomam Corcellium Francum, Eugenius vero Cardinalem misit Joannem Turrecrematam Hispanum amplissimæ doctrinæ hominem, cujus hortamenta Rex sequutus mandavit toto suo regno Eugenium summum agnosci Pontificem. Addidit præterea, ne qua fieret, aut diceretur, ob Regiam affinitatem, qua sibi proxime conjunctus erat, Domino Sabauda injuria, ita Felicem vocabat. Post aliquot vero annos Rex tantum apud Amedæum contendit, ut ultro se abdicaverit dignitate, & Nicolaus V. qui Eugenio successit, se subjecerit.

35. Quod attinet ad secularium Principum & rerum publicarum eventus, horum retexendum est filium, qua parte ad pleniorum rerum Ecclesiæ notitiam conferunt. Superius a nobis commemoratus Sigismundus Augustus majori natu fratri Venceslao in regnum Bohemiæ successit. Post hæc regnum quoque suscepit Hungariæ, ducta in matrimonium Maria unica Regis Hungariæ Ludovici filia, eaque defuncta Barbaram Hermannii Ciliæ Comitissæ filiam sumpsit uxorem, ex qua unicam suscepit filiam Elizabetham, quæ patris regna Bohemiæ & Hungariæ hæreditario jure nacta est. Denique Sigismundus postquam factus est Imperator, Elizabetham filiam Alberto secundo Austriae Duci nupti dedit. Alberto Sigismundo fecero mortuo, creatus est Imperator, & uxoris jure dotalisbus regnis positus est Bohemiæ & Hungariæ. Moritur Albertus, post cujus obitum Hungariæ Turcarum arma formidantes, & Imperium feminæ inbellis detrectantes, viduam Elizabetham Reginam suam Uladislao Poloniae Regi nubere compulerunt. Post hæc nuptialia fœdera, nascitur ex Elizabetha Ladislao defuncti Alberti posthumus, quem mater omni abjecta mori ad Fridericum Austriacum III. Imperatorem transmisit cum regni corona, qua infantem recens baptizatum redimiri curaret, metuens ne ab Hungaris in Uladislao propensius infans intercepteretur. Hungaria univerfa cum Joanne Hunniade pro Uladislao Polono dimicabat, pro Elizabetha vero & infante Ladislao Bohemiæ. Contigit demum anno 1444. atrox prælium committeretur apud Varnam Christianos inter, quorum erat dux supremus Rex Polonorum Uladislao, & Turcas, quos ducebat summus eorum Monarcha Amurathes. Bellum istud Turcis inexpectatum concitavit Joannes Hunniades contra fidem fœderum antea utrinque juratorum, & tamen in prælii proximo Hunniadem ipsum insolita trepidatio & metus incescit, adeo ut discessum suaderet, suosque a pugna deterreret. Uladislao Rex adeo intempestivum dedecus averfatus, suos ad strenue pro Religione & patria dimicandum adhortatur, præitque exemplo, adversarios cum Nobilitatis flore fortiter ad ipsorum monumenta tanto impetu adoritur, ut attoniti Turcæ fugam cum Amurathe meditentur, ipseque Amurathes, sarrapis quibusdam mortem ipsi stricis gladiis intentantibus, animam resumere militemque jam terga obvertentem sistere coactus

Cabassii, Notitiæ Ecclesiasticæ.

fit. Scribit Aneas Sylvius, si par animus ac Regi obtigisset Hunniadi, & cum decem millibus, cum quibus seorsum a conflictu se continebat, accurrisset ad Regis fortissime dimicantis subsidium, eo die indubitanter plenissimam fuisset atque illustriorem quam unquam victoriam de Turcis Christiano exercitui obventuram. Uladislao multis faucibus vulneribus, suisque longo & acri certamine diminitis & fatigatis concidit; cujus repertum cadaver Amurathes honorifice sepeliri mandat.

36. Hac accepta clade, mortuoque Uladislao Rege, simul convenere Bohemi & Hungari ad agnoscendum pro suo communi Rege infantem Ladislao, quem a Friderico missis nunciis repetebant ut coronarent; quem tamen Fridericus Cæsar dimittere recusavit, melius quippe & securius servari apud se infantem Regem, quem consanguinitate proprius continebat, quam si populi Nobilibus sapius inter se dissidentibus committeretur. Nec vero nova opus esse coronatione infanti, cui jam a die baptismi regni corona fuerat imposita. Dum autem adolesceret, utriusque regni administratio & bellorum cura Hunniadi omnium consensu demandata est ac delegata. Hæc fusius referuntur apud Bonfinium in historiis Hungariis, Cromerum in Polonicis, Aneas Sylvium in epistolis, quas scripsit, cum esset Friderico Imperatori a secretis, & in Europæ descriptione, quam, dum esset summus Pontifex, elucubravit. Eventus Varnensis conflictus hoc docuit, servandum esse ipsis hostibus fidem jurejurando firmatam, quod etiam arguit exemplum Josue ducis erga Gabaonitas.

37. Eugenius Pontifex anno Chr. 1447. rebus humanis morte subtrahitur, eique Nicolaus V. Purparatorum suffragiis eligitur successor, innumerus clarus virtutibus, bonarum artium doctorumque hominum mirifice studiosus, librorum veterum Græcorum atque Latinorum undecumque conquistator & sedulus instaurator. Apud hunc Amedæus Sabaudie Dux, Felix appellatus, se præsumpto Pontificio abdicavit anno 1449. hortatu & interventu Caroli VII. Franciæ Regis. Illum Nicolaus Cardinalem fecit, primumque inter Cardinales locum tenere voluit, creavit perpetuum in terris ditionis ipsius temporalis Legatum. Ludovicum etiam Alemandum dictum Arelatensem, qui cœtibus Basileensibus ad finem usque præfederalat Cardinalis, ad Eugenium submotum, atque anathemate ictum, in Cardinalium amplissimum Collegium restituit, pristinasque dignitates & munera. Nicolaum V. fato sanctum Callistum III. ex Borgiarum prosapia: Callistum vero Aneas Sylvius dictus Pius II. vir multæ eloquentiæ ac multiplicis eruditionis excepit.

38. Anno 1453. ad clavum Ecclesiæ sedente Nicolaus V. ejusque Pontificii anno 7. die mensis Maji 29. Græcis imperante Constantino Paleologo, obfessam Constantinopolim urbem in suam rediguit potestatem Mahometes secundus, Amurathis superioris memorati filius & successor. Ipse Constantinopolim dum irrumperet ad portam urbis Turcas prohibere conatur, interit, eumque Mahometes honorifice jussit sepeliri. Itaque Græcorum Imperium in prædam Turcarum genti cessit, captumque a Constantino primo, everfuit sub Constantino octavo. Mahometes ejus everfor Trapezuntinum præterea Imperium cum Colchide subjugavit, Davide Comnenno Ustuncassani fecero, qui ibidem regnabat, cum tota familia Constantinopolim abducto, paulloque post interempto. Quod Imperium capta a Latinis Constantinopolim ipsa Isaacius Comnenus ante annos ducentos quinquaginta constituerat. Ad hæc regna duodecim urbes supra ducentas expugnasse perhibetur. Idem a Taurino, quam Belgradum vocant, Hungariæ propugnaculo firmissimo ad confluentem Savi in Danubium sito, & ab insula Rhodo frustra tentatis repulsus est. Venetis Lemnum, Mitylenam, Corinthum, Eubœam eripuit, & Capnam olim Theodosiam dictam Genuenibus; ipsamque Italiam, capta Hydruntum, quæ vulgo dicitur *Otranto*, maritimo Neapolitani regni propugnaculo, terrore complevit. Obiit vero anno millesimo quadringentesimo octuagesimo primo.

39. Postquam Joannes Hunniades Turcas iterato ab Belgradum, quam obsederat, cum Mahomete profugavit, quæ ultima ejus victoria fuit: eandem vero urbem ante aliquot annos ab Amurathe obfessam magna quoque virtute liberarat, fatis tandem concessit. Rex Ladislao jam sui capax per atatem effectus, ad avunculum suum Ulrichum Ciliæ Comitem regnorum suorum Hungariæ atque Bohemiæ administrationem transtulit. Hunc Poloni sub custodia detinuerunt, eo quod nepotis Ladislai una cum Regina Elizabetha partes adversus Uladislao tueretur, cujus ad Varnam interitu recuperata libertate, graves cum Hunniade ob regni administrationem exercuerat similitates. Postquam vero mortem Hunniades appetiit, omnis sub Rege potestas Ulricho ab

Z ipso